

ORATIO FUNEBRIS  
IN OBITUM  
VIRI CELEBERRIMI  
FRANCISCI NAGY,  
DUM VIVERET

In I. Collegio H. C. addict. S. Patakiensi  
Exegeseos Sacrae  
et Historiae Ecclesiasticae Professoris P. O.  
publice dicta  
in Auditorio maximo die 50. Jan. 1820.

a

MOSE KÉZY,  
Ejusdem Collegii Physices et Chemiae Pro-  
fessore P. O.

---


S. PATAKINI,  
Impressa per Andream Nádaskay: 1820.

OSZK


Országos Széchényi Könyvtár



825943







Spectabiles Illustris hujus Scholae Curatores!  
Viri plurimum Reverendi, Ecclesiarum Gubernatores prudentissimi!

Collegae svavissimi!

Tu denique Deo Musisque sacrata Juventus!  
Auditores omnium Ordinum quotquot adestis  
honoratissimi!

Országos Széchényi Könyvtár

**G**ravissimum, acerbissimumque vulnus  
Athenaeo huic nuper inflictum est. Morte enim luctuosissima ereptus nobis est vir meritis conspicuus Franciscus Nagy, non ultima hujus Musarum Sedis gloria, nostrique Collegii magnum decus, et ornamentum. Hujus nuncii acerbitate vehementer commoti sunt omnes, qui quantum Viri Clarissimi decessu jacturam acceperimus, serio ad animum revocarunt. — Placuit itaque quam plurimis, ut intra hos

etiam Scholae nostrae parietes, publice  
 justa eidem persolvantur, meritaque ejus  
 solenni oratione deprædicentur. Omnes  
 vos AA. Honoratissimi hanc erga Defun-  
 ctum pietatem approbare, haud difficulter  
 in animum induco; at simul dubitare ne-  
 queo, quin plures vestrum miraturi sint,  
 gravissimam Collegæ manibus inferias mit-  
 tendi provinciam, mihi non ulla eloquen-  
 tiae laude claro demandatam esse. Verum  
 vel hoc ipsum firmissimum haberi volo te-  
 stimonium nostrae erga Defunctum pieta-  
 tis, ut licet justissime vererer, ne onus, cui  
 sustinendo impar inveniar, humeris susci-  
 perem, hanc tamen amicissimo mihi dum  
 viveret viro, justa persolvendi provinciam,  
 minime recusarim. Vos igitur AA. omnium  
 ordinum spectatissimi, quotquot solenni  
 hoc die ad laudationem funebrem conflu-  
 xistis, et mecum Clarissimi Viri Francisci  
 Nagy memoriam celebrare avetis, dicenti  
 mihi animis favete, et si eorum de quibus  
 acturus sum gravitatem, verborum ponde-  
 re exaequare non potero, sollicitum ac ti-  
 tubantem, benevolentia vestra confirmate,  
 sustentate. Quod ne pluribus eblandiri  
 necesse habeam, nominis Defuncti nostri  
 favor, apud vos facile mihi impetrabit.



Cogitanti mihi quis maximus manibus Defunctorum, qui meritis conspicui erant, tribui honos possit, illorum imprimis probandum videbatur institutum, qui expressam virtutum Defuncti imaginem oculis intuentium sistunt, quibusque initiis profecti, qualibus incitamentis adminiculisque adjuti, tantam sibi laudem pepererint, non ficta oratione persequuntur. Tali nimirum ratione et memoriae Defunctorum et viventium commodis optime consulitur. Quid enim vita functis honorificentius quam vitam moresque illorum ad exemplar imitandum viventibus proponi? quid viventibus utilius commodiusque, quam normam regulamque prae oculis habere, ad quam vitae suae rationem exigant? Mihi vero hanc inprimis viam insistendam esse cum viro eruditissimo laudibusque cumulatissimo Francisco Nagy justa solennia persolvere paro res ipsa admonere videtur. Spes enim est animis generosorum juvenum, qui in hac bonarum artium palaestra desudant, stimulos accessuros, ut vestigiis Defuncti nostri, licet haud passibus aequis, attamen alacriter insistant, virtutesque laudabili aemulatione imitentur,



Vir eximius cujus mortem lugemus, primam lucem adspexit in vico Felső-Vály anno post millesimum 765. Pater ejus fuit Michaël Nagy, ibidem munere ecclesiastico functus. Puer adhuc artibus bonis erudiendus in hanc nostram Scholam missus est, hinc tamen brevi in Gymnasium quod Miskoltzini floret transivit. Jam in tenera aetate mira flagrabat quidvis discendi cupiditate, tantaque contentione inter paucos excellere cupivit, ut in Praeceptoribus suis maximam de se spem excitaret. Mirus hic discendi ardor, felicissimo quod a faultrice natura acceperat ingenio suffultus, effecit brevi, ut Gymnasii decus ornamentumque audiret. Nec in eo maturiore ardor iste relanguit, ut in multis videmus, qui spem de se conceptam annis aucti eludunt, imo cum aetate crescere intendique videbatur. Cum enim ad eos maturioris aetatis annos jam perveniret, in quibus e meliore luto ficti, feliciorisque ingenii Juvenes, sine Praeceptoris ope sapere, et ut ajunt, sine cortice natare incipiunt, Defunctus noster, humaniores literas tam avide arripuit, ut diuturnam quamdam sitim explere videretur. At cum ei inde a tenero nihil prius aut antiquius fuerit, quam salubris



cujusvis doctrinae imbibere praecepta, in hac re tamen sic suo obsecutus ardori est, ut ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, omniaque studia praecipue conferret. Cum vero probe intelligeret neminem consummati Theologi nomen, sine multifariae eruditionis apparatu consequi posse, totum se iis studiis dedit, quorum opem disciplina haec deprecari videbatur. Hoc consilio Philosophiae, Historiae, Linguae Hebraicae atque Graecae, Philologiae et Antiquitatibus sacris, eam operam impendit, ut non tam Theologiae subsidiis se munire, quam summam in his disciplinis laudem consequi velle videretur. Praejudicatae nonnullorum opinioni ansam Defunctus noster eo praeiungit, quod modicis Gymnasiorum rivis contentus, grandiores Athenaeorum, quae Patria nostra habet, fluviis neglexerit. At nescio an non hoc ipsum, quantae in illo fuerint ingenii dotes, quamque excellentes animi facultates, in clariore luce ponat. Cum enim in Gymnasiis summa tantum doctrinarum delibari, patentissimumque studiorum campum arctis limitibus constringi videret, ille, cujus animus ad solidioris eruditionis laudem adspirabat, suis maxime viribus insi-



stens, suisque opibus et praesidiis suffultus, obstantia haec claustra perrupit, et ad eruditionis laudem proxime accessit. — Usus quidem est in Schola Miskoltziensi duce et adiutore studiorum suorum Samuele Miklosio, viro eloquentissimo, et in omni fere eruditionis genere perpolito, quem ille ut patrem colebat, a quo etiam ut filius diligebatur. At vero Institutionibus doctissimi viri non diu vacare ei licuit. Cum enim ingenio suo, aetatem praecurrente, morumque probitate omnes cepisset, Scholis inferioribus praefectus est, decem et octo annos nondum excedens. Delatum itaque hoc Defuncti nostri fuerat ingenio, ut qua aetate alii discipuli sunt, ille discipulos haberet. Nec spes in eo collocata Scholae moderatores fefellit. Quanto enim discipulorum suorum emolumento spartam illam obiverit, facillime quivis vel inde colligat, quod Parentum Gymnasiique Patronorum precibus obtestationibusque expugnatus, per octo annorum decursum muneri isti vacare coactus sit. Imo quod certius eum Miskoltzienses in sinu suo retinerent, excellentibus animi ejus facultatibus commoti, altius eum evexerunt, Subrectorisque munere (quod Professoris



officio et honori proxime accedit) eundem ornauerunt. Non tamen ultra biennium munus istud gessit. Cupido enim animum ejus subiit exteras terras visendi. Itaque suscepit consilium auctore et auspice Deo, atque in Universitatem Studiorum Tigurinam, faustis ominibus se contulit, ut instituti praeclari fructus in Patriae sinum effunderet. Quocunque pervenit, adiit viros, quos fama doctos esse acceperat, eorum sermonibus fruebatur, peculiaria cujusvis loci percontabatur, condidit tacitus, et seposuit, quae sibi usui fore ducebat, ut consilio suo satisfaciat. Multa apud Helvetios eruditionis accessione ditatus, post biennium in Patriam rediit, et inter Candidatos Ministerii sacri nomen suum professus est. Munere Ecclesiastico in Ecclesia Tsátiensi et Dorogmensi functus est, in quo insignes suas dotes, nativam eloquentiam, gravitatemque dicendi cunctis approbavit. Munus sacrum non diu gessit. Cum enim ejus doctrina omnium fama et oratione celebraretur, non abnuendis promissis in hanc Musarum Sedem evocatus, Humaniorum literarum Professoris munere honoratus est. Hic itaque fortunarum suarum, officiique in emolumentum scholasti-

cae Juventutis suscepti stabilem sedem fixit. Quam arduo laboriosoque munere fungantur ii, qui apud nos humaniores literas profitentur, satis notum omnibus esse arbitror. Ille tamen ferreae patientiae vir, cum alii eodem munere fungentes onus Aetna se gravius sustinere quererentur, summam se ex hoc labore voluptatem percipere saepius dicebat. Naturae quodam beneficio id illis, qui non invita sua indole munus docendi suscipiunt, obtigit, ut summa voluptate perfundantur, cum latentes ingenii discipulorum igniculos eliciunt, foveant, nutriant, mentemque juventutis, ceram quasi sequacem, Prometheia manu tractant, animique velut lineamenta effingunt. Non ullus tanto exultat gaudio Phidias, cum spirantia ex ebore fingit signa, vivosque ducit de marmore vultus. In horum, qui sane paucissimi sunt numero Defunctus noster ponendus est. Per viginti enim annos et unum, sic in instituenda juventute versatus est, ut nullum laborem, quem discipulis suis profore arbitrabatur unquam refugerit, nec ullum laboriosissimi muneris, in quo omnem fere aetatem contrivit, taedium eum ceperit. Hoc muneris cursu vices Theologiae Professoris



plus simplici vice supplevit; cum vero anno superiori, magni Musagetæ, quem rerum nostrarum Gubernatorem veneramus, Josephi Vay munificentia, in hoc Athenæo, Exegeseos sacrae Cathedram erexisset, unanimi omnium consensu, Defuncto nostro honorifica hæc provincia demandata est, in cujus novæ Professionis auspiciis morte acerba ereptus est.

Vixit quemque dedit cursum fortuna,  
peregit.

Fuit in eo eruditio non vulgaris; imo vix ullum facile reperias doctrinae genus, cui non industriam suam impendisset. — Quin etiam quibusdam supellectilis antiquariæ generibus, ut numis antiquis, quorum non parvum ille numerum reliquit, mirifice delectabatur. — Id vero in laudibus Defuncti nostri non ultimo loco ponendum puto, quod severiores disciplinas Poëtices suavitate et jucunditate mitigavit; cui studio ita deditus erat, ut vix ullo alio, si a sacrorum codicum intelligentia discesseris magis fuerit delectatus. Quam Poëtices beatam venam Defunctus noster, e sacris Vatibus, quorum volumina assidue terebat, quasi per contagionem hausit. Sacra enim Hebraeorum Poësi nihil sublimi-



us, nihil divinius fingi posse sæpius eum dicentem audiui, vaticinio inprimis Esaiae, qui nunc multa aura levatus, altissimos nubium tractus post se relinquit, nunc torrentis ad instar, quem supra ripas largi imbres aluerunt, ore profundo fervet, immensusque fertur. Hinc est quod in carminibus ejus multa reperiantur e Vatibus sacris expressa; imo Esaiae et Habacuci quaedam versibus polivit latinis, comptissimis, Romanum sonantibus, quos qui leget, caelatum novem Musis opus fatebitur. Carmina tamen quae publici juris esse voluit, patrio sermone composuit, e quibus quantal utilitas in linguam nostram redundarit, non est necesse pluribus verbis commemorare. Peritissimus certe talium rerum aestimator Franciscus Kazinczy, quem ducentem sequuntur veneranturque pene omnes, qui lingvae nostrae excolendae operam impendunt, carmina ejus vehementer approbavit, et ad plura etiam edenda enixum hortatus est. Effectum profecto est ejus industria ut lingua nostra asperitatem suam sensim exueret, et antea pingve quiddam et agreste sonans plectri Horatiani numeris et svavitate mitigaretur. Ex cujus meriti societate non equidem multos alios



excludo AA. at qui laudem hanc ipsi denegarit, nae ille gloriae ejus invidentissimus sit. Quanto sermonem patrium perpoliendi ditandique studio flagraverit, testis est Ilias Homeri, versibus heroicis in linguam Hungaricam translata, quod opus multo sudore multisque vigiliis ad umbilicum perductum, utinam aeternis tenebris damnatum non sit, sed magno rei nostrae literariae emolumento, e scriniorum latebris in lucem publicam quo citius emergat.

Restat, ut qua supremum Numen religione coluerit, quantaque morum integritate aliis praeluxerit, breviter exponam; quod vero digno verborum apparatu exequi, non venae nostrae sterilitas, non infantia vocis permittit. Erat in eo magna vis pietatis erga Deum, quam primum praeceptis et exemplo parentum in animo satam, librorum divinorum lectio aluerat, denique exercitatio assidua, ita confirmarat et roborarat, ut ad extremum vitae cresceret semper, intendereturque. In sermone etiam et dictis, quae inter amicos proferret, mirificam immortalis Dei reverentiam omnes adnotabant. Vix ullus ei illuxit dies, quem non ferventissimis ad Deum immortalem precibus auspicaretur. Quoties ego hunc vidi AA. coelum stelliferum, aut adulto vere effusas naturae opes contemplantem, sacro pectoris aestu incandescente, Numinisque sensu plenum, ac pene abreptum, ardentissimo pietatis affectu in laudem Coeli Terraeque Satoris e-



rumpentem. Nec vero in precibus tantum ac laudibus Dei, sacrisque publicis obeundis assiduus erat, sed menti sanctae et purae non svavius fere oblectamentum quae-rebat, quam sacrorum voluminum lectionem. Ex hoc fonte fluxere mores integerrimi, quos in omni vitae genere testatus est, quibusque probiores candidioresque frustra in homine requiras. — Erant enim adeo inculpati pudicique, ut nihil ab eo factum, quod vel rigidissimus morum censor reprehenderet, nihil dictum vel in hilariore amicorum caetu, quod non in virginum choro dici possit, meminerim. — Officium ejus non modo amicis, sed nec ignotis defuit. Neminem inter vos ignorare arbitror Auditores, quanta is liberalitate egenis, qui opis ejus indigebant, e re sua familiari, cum ipse dives minime esset, succurrerit, qua caritate morbo, aut alia calamitate conflictantes, consilio, solatio, re adjuverit, erexerit, recrearit. Norunt amici, norunt plurimi hujus loci incolae, saepe eum sui, suorumque curam, dum aliis opem ferre queat, penitus etiam abjecisse, ut non obscure intellegi posset, cariores ei homines fuisse, quam ipse fuerit sibi. — Atque summa haec viri erga Deum immortalem pietas, morumque innocentia, sic in vultu ejus totiusque corporis habitu relucebat, ut qui eum non visum antea cerneret, ex ore, corporisque lineamentis, probitatem ejus, totumque pectoris habitum facile conjiceret. Adeo



videlicet cognatae res sunt corpus atque anima, ut alterius habitum altera sequatur, ac mentis quidem bonitas in ipsa cutis specie reluceat, rursum corporis habitus, divinae aerae particulam afficiat, ut quae corpori penitus sit immersa, atque illicata. Haec tui beate Nagy pietatem probitatemque spirans imago, animo meo impressa est, hanc mihi servabo, quamdiu anima mea in hoc corpusculo hospitatur.

Qualis vero maritus, qualis Paterfamilias fuerit, recordemini mecum AA.— Annis suis florentibus, divinae manus ductu atque auspicio, sanctissimo connubii vinculo sibi junxit nobilem virginem Susannam Oláh, Antistitis Jánosiensis filiam, omnibus dotibus, quae sexum illum commendant et ornant conspicuam. Conjugio isto felix dicebatur eratque Defunctus noster. Nullum enim faederis matrimonialis sanctius ac potentius vinculum est, quam quod similitudine indolis contractum est, ac virtute et pietate in dies arctius adstringitur. Concordia hac non tam consociantur animi, quam coalescunt, ac veluti concrescunt, ut crederes unam animam in duobus esse divisam. Beatum enim vero Defunctum nostrum, quem rarissima haec sors turbae exemit! succubisset profecto calamitatibus ac procellis, quibus per vitam conflictatus fuit, nisi lectissimae feminae firmitas simul ac suavitas eum sustentasset. Ex optima hac conjugē duos filios tulit, Franciscum et Josephum ad om-



nia praeclara surgentes, et filiam unam Joannam, praestante indole, ingeniique dotibus ac virtute decoratam, quibus casta sanctaque disciplina ad omne documentum et exemplum pietatis ac virtutis praeivit. Indulgentiam qua erga suos usus est, gravitate temperavit; quare liberi auctoritatem ejus sic verebantur, ut metus omnis abesset. Fuit porro vitae eorum Dux et moderator, morum magister, et pietatis inter suos domesticus doctor.

Hic vir tam praeclari exempli per placidam mortem ad coelestia gaudia translatus est, mensis quem nunc claudimus die 15-ta. Salve coelo recepte, qui ex fluctibus et calamitatibus hujus vitae, tranquillum aeternae beatitudinis portum invectus es. Tu jam inter coelestia sidera mortalitatem nostram ex alto despicias, atque in serenissimo coelitem aethere, noctem nostram miraris. Quod tibi mortale fuit moesti terrae mandavimus; at non idem tumulus, qui caduci corporis reliquias contegit, praeclara etiam tua in rem literariam merita obruet; nosque sicut te Collega nobis acceptissime impense amavimus, ita gratissimam tui memoriam semper retinebimus.







